

GEOGRAPHIA HIERAR-

Inscriptio CHICA *Catalogo*

Domus Probationis

SIVE

Societatis JESU Vienna ad S. Augustinum

Anno STATUS *1714.*

ECCLSIASTICI ROMANO - CATHOLICI PER ORBEM UNIVERSUM DISTRIBUTI SUCCINCTA DESCRIPTIO HISTORICO-GEOGRA- PHICA.

AUTHORE

P. HENRICO SCHERER,
SOCIETATIS JESU.
PARS II.

Sumptibus JOANNIS CASPARI BENCARD, Bibliopolæ
Academiz Dilinganz.



MONACHII,

Typis, MARIÆ MAGDALENÆ RAUCHIN Viduz.

ANNO M. DCCIII.

Collegiatæ INSIGNES, non item alix. Quibus omnibus tandem succedit totus inferior *Glerus*, & ipse cum suis *Decanis*, *Archipresbyteris*, *Camerariis*, *Pastoribus* sive *Parochis*, *Visariis*, *Beneficiatis*, *Capellanis* &c.

COROLLARIUM.

Hucusque tibi, Amice Lector exhibui *Statum*, *Ordinem* ac *Regimen Ecclesie Catholicae* nascentis & adultæ, veteris ac modernæ per totum orbem terrarum diffusæ, non eâ quidem amplitudine ac perfectione, quam ipsius operis dignitas exigit, sed qualis magna moles & amplissima fabrica solet in suo *modulo* & in mensurâ multum *imminuta* proponi, talis nempe formæ ac magnitudinis, quales sunt ipsæ *Projectiones* sive chartæ *Geographicae*, non in magnis & foliis patentibus explicatæ, sed in modica spatia & formas angustiores con-

tractæ: *Compendium* namque *Geographia* non ipsam *Geographiam* (ut jam alibi præmonui) tradere constitui: prius namque, ut ritè exactèque confiat, sæculo opus habet penè integro, ejusque labor & perfectio unius hominis ætatem ac vires superat, aut certè multarum personarum operam & industriam associatam exigit. Si cui tamen hæc compendia non placent, reperiet ille passim authores, qui partes ac Provincias singulas diffusius explicant, nempe unus *Americam*, alter *Europam*, alius *Galliam* & alius *Germaniam* tradet, & quæ nos omisimus, aut dissimulavimus, aut etiam perperam proposuimus, ipsi longè diffusius, enucleatius & accuratius proponunt: neque enim omnia possumus omnes, ut nec unus omnibus satisfacere; cum unus compendia desideret, alius verò rem ad omnes apices ventilatam & enucleatam exoptet.

CAPVT IV.

ECCLESIE CATHOLICÆ PROPAGANDÆ & CONSERVANDÆ SUBSIDIA à DEO PROUISA.

PROPOSITIO I.

ORDINES RELIGIOSI *Claustrales*, eorumque in RELIGIONEM *Christianam* OFFICIA.

DUO sunt præcipua MEDIA, quibus Christiana Ecclesia inchoata, propagata & conservata hactenus fuit, & iisdem subsidiis deinceps etiam propagabitur & conservabitur. Primum est, *Recta Ecclesie gubernatio*, alterum *constans Legis*

Divina Prædicatio. Neutrum esse penes *prophanos Principes* sed penes *Ecclesiasticos*, ostensum est *Parte I*. CHRISTUS primus Ecclesiam suam fundavit, Legem illi posuit, eamque prædicavit, juxta illud *Actor. 1. Capis IESVS facere & docere. Matth. 5. Nolite putare,*

quoniã veni solvere Legem, non veni solvere, sed adimplere. Lucæ 19. Erat quotidie docens in templo. Perfunctus autem hoc officio, antequam in cœlum abiit, munus quidem prædicandi Legem CHRISTIANAM, tradidit omnib⁹ Apostolis Marci 16. *Prædicate Evangelium omni creatura: Curam autem gubernandi Ecclesiam & pascendi gregem fidelium speciali & iterato mandato commisit PETRO Ioann. 21. Pasce oves, pasce agnos meos: & Matth. 16. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, quæ verba & mandata nulli alteri Apostolorum dedit: Ipse autem Petrus postea partem huius curæ & gubernationis suæ à CHRISTO acceptæ communicavit Episcopis in sua Epist. I. Cap. 5. his verbis: Pascite, qui in vobis est, gregem DEI, quod ipsum Paulus quoque Episcopis inculcat Act. 20. Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos, regere Ecclesiam DEI; quam acquisivis sanguine suo, quod deinceps tempore nascentis Ecclesiæ & tribus primis aut quatuor sæculis egregiè præstiterunt Episcopi sanctissimi hinc inde per orbem terrarum dispersi:*

In ASIA quidem.

- S. TITUS Episcopus *Cretensis*.
- S. TIMOTHEUS Episcopus *Ephesus*.
- S. IGNATIUS Episcopus *Antiochensis*.
- S. BASILIUS Episcopus *Cæsariensis*.
- S. GREGORIUS *Thaumaturgus* Episcopus *Neo-Cæsariensis*.
- S. GREGORIUS Episcopus *Nissensis*.
S. *Basilii* Frater.

In AFRICA.

- S. ATHANASIUS Episc. *Alexandrinus*

- S. CYRILLUS itidem Episcop. *Alexandrinus*.
- S. CYPRIANUS Episcopus *Carthagensis*.
- S. AUGUSTINUS Episcopus *Hippontensis*.

In EUROPA.

- S. ILDEPHONSUS Episcopus *Toletanus* in Hispania.
- S. HILARIUS Episcopus *Pictaviensis* in Gallia.
- S. AMBROSIVS Episcopus *Mediolanensis* in Italia.
- S. PETRUS *Chrysologus* Episcopus *Ravenatensis*, itidem in Italia
- S. EUCHARIVS Episcopus *Trevirensis* in Germania.
- S. MATERNUS Episcopus *Tongrensis* in Belgio.
- S. AUGUSTINUS Episcopus *Cantuariensis* in Anglia.
- S. PATRITIVS Episcopus in *Hibernia*.
- S. IOANNES CHRYSOST. & S. GREGORIUS *Naxianzenus* in *Græcia*.

Qui omnes sanctissimè gubernarunt suas Ecclesias, & nihilominus Legem Christi prædicarunt ex Cathedra. Inde hodièque supersunt tot eorum *Homilia, Sermones, & Conciones* in Romana Ecclesia, divinâ sapientiâ & Spiritu Sancto plenissimæ.

Idem sub Ecclesiæ nascentis exordia post SS. *Petrum & Paulum* Apostolos præstiterunt Romani Pontifices *S. Linus, S. Clemens, S. Alexander, S. Urbanus, S. Marcellus* aliique etiam in vinculis, & ergastulis in cryptis & antris subterraneis constituti: & subinde, ubi jam sub Imperatoribus Christianis etiam major fuit Christianorum libertas, id ipsum exercuerunt publi-

publicè in templis & in cathedris : idque præstitit *S. Sylvester, S. Leo Magnus, S. Gregorius* itidem Magnus : *S. Innocentius* aliique non pauci, quorum orationes sacræ, & sanctissima documenta etiamnum asservantur & identidem in Ecclesia Romana recitantur.

Tandem ubi circa *Saculum* 3um & 4tum. Lex Christiana iam per plurimas Orientis & Occidentis Provincias fuit propagata, multiplicatæ passim Ecclesiæ, & Christianorum numerus in immensum adauctus : neque jam amplius tantæ multitudini ac labori cum suo Clero sufficiebant Episcopi, præsertim cum eo tempore vastarent innumeras Christianorum Provincias *Scythæ, Hunni, Vandali, Gothi* &c. ex altera verò parte Christianam Ecclesiam turbarent *Ariani, Donatista, Pelagiani, Nestoriani, Euzychiani*, aliique hæretici : tum verò in subsidium Episcoporum divina Providentia excitavit quosdam *Religiosos Ordines* & zelosos divini honoris & Ecclesiæ Christianæ propugnatores : è quorum numero primi fuere *Canonici Regulares, Monachi S. Basilii, S. Augustini, S. Benedicti* &c. qui è suis eremitoriis ac solitudinibus, è suis claustris & monasteriis, quandoque etiam renuentes & inviti provocati nihilominus sunt non tantum ad prædicandum gentibus Christi *Evangelium* sed etiam ad pascendas Christi ovic-

las, administrandos Episcopatus & gubernandam sæpe numero totam Christianam Ecclesiam viri sanctissimi, litteris ac doctrinâ conspicui.

Cum verò post domitos barbaros & extirpatas hæreses antiquas, novæ identidem succrescerent hæreses, insurgerent barbaræ nationes (quod ferè post aliquot sæcula successit) etiam novi à Deo identidem excitati sunt Religiosorum ordines, videlicet *Monachi Cluniacenses, Carthusiani, Cistercienses, Præmonstratenses, Carmelita, Dominicani, Franciscani, Servi B. Virginis &c. Valdenses, Albigenses* &c. Hæreticis oppositi : Idque deinceps semel iterumque evenit, quando novæ emerferunt hæreses, & inter adversa, & graviora pericula, Christiana Ecclesia fluctuavit. Vt verò paulò clariùs appareat, quanta jam olim obsequia Romanæ Ecclesiæ præstiterint Religiosi ordines hinc memoriâ repetendum erit, quot viros doctrinâ ac virtute præstantes, aliquot retrò sæculis Religiosi ordines Ecclesiæ Romanæ suppeditarint ad gubernandas Ecclesias Episcopales, Metropolitanas, statum Cardinalitium, ipsamque supremam Divi Petri cathedram Scdémque Apostolicam.

Ad hoc autem ostendendum multum adhuc conferet, si prius præcipuos saltem ordines Religiosos hinc enumerabimus.

§. I.

ORDINES RELIGIOSI in ECCLESIA CATHOLICA MAGIS ILLUSTRÉS ac NOTI.

ORdo CANONICORUM *Regularium* sive *Clerici* in commune viventibus à CHRISTO & APOSTOLIS instituti, & præcipuè in ædibus Lateranis

degentes: unde dicta fuit *Congregatio Lateranensis*: deinde in Ægypto à S. Marco Alexandriæ Episcopo fundati, tandem à S. Augustino in Africa instaurati sunt, ideoque dicti *Canonici Regulares S. Augustini*: & subinde à Gelasio Papa Ecclesiæ S. Ioannis in Laterano regendæ præpositi, indeque dicti *Canonici Lateranenses*: unde in diversas Europæ Provincias propagatus fuit illustrissimus hic ordo, & in Ecclesia Lateranensi perseveravit octingentos & amplius annos usque ad annum 1296. quo Bonifacius VIII. eam dedit *Canonicis secularibus*, sed Eugenius IV. eam restituit pristinis Religiosis: at Calistus III. rursus eripuit, & Paulus II. denuo restituit. Porro cum orta esset controversia inter *Canonicos Regulares* & Monachos *Benedictinos* de præcedentia in processionibus & aliis actionibus Ecclesiasticis, Pius V. per Breve datum anno 1563. decrevit ad favorem *Canonicorum Regularium* ob antiquitatem ordinis jam inde ab Apostolis derivatam.

Anno 253. Ordo EREMITARUM S. PAULI, primus in Novo Testamento.

Anno 275. Ordo Monachorum S. ANTONII, qui natus est Anno 254. & vitam solitariam inchoavit anno ætatis 21. Ejusmodi monachis quinquies mille in Thebaide præfuit S. HILARION Abbas, eodem ferè tempore.

Anno 362. Ordo Monachorum S. BASILII, qui vulgo hodie à Græcis vocantur *Calogeri*. Hucusque Monachi vixerant in certos quidem districtus, & communitates collecti, attamen nullis certis Legibus obligati, quibus S. BASILIUS deinceps certas regulas præscripsit, eosque prius in cremis ac so-

litudinibus dispersos atque ab omni humano consortio remotos in certa monasteria collegit urbibus viciniora, ut hac ratione non sibi solis sed etiam aliis mortalibus in mundo degentibus verbo & exemplo prodesse possent. Atque ex his S. BASILII monachis potissimi ad gubernandas Ecclesias iam olim assumpti sunt, hodieque etiam post *Schisma* unicè à Græcis assumuntur.

Anno 387. Ordo Eremitarum S. AUGUSTINI, institutus ab eo (inquit P. Ricciolius) extra Mediolanum, indeque translatus in Africam, & Thagaste anno 319. fundatus, & paulò post Hippone in horto donato à Valerio Episcopo, nempe anno 391. constitutus, uti habet P. Aloysius Torellus Tom. 1. & 2. sæculorum Augustinensium.

Anno 400. IOANNIS CASSIANI Monachi Massilia in monasterio S. Victoris.

Anno 405. S. PACHOMII Monachi accepta divinitus ab Angelo regulâ.

Anno 465. S. SABBÆ Monachi, natus est autem S. SABBA anno 425.

Anno 494. S. BENEDICTUS Ordinis sui Patriarcha Abbas Montis Cassini secessit in eremum, & anno 547. migravit ex hac vita relictis innumeris sanctissimi Instituti sui sectatoribus: teste namque Trithemio anno millesimo post Christum numeravit Ordo S. BENEDICTI 15. millia monasteriorum, & teste Volaterrano ex eodem ordine prodire Sancti Canonizati 156000.

Anno 910. Ordo CLUNIACENSIVM sub Regula S. Benedicti institutus est à Benone Abbate Balmenfi Ord. S. BB-

NE.

BENEDICTI *Cluniaci*, qui pagus est in Ducatu *Burgundia* cum insigni Abbatia & loco foundationis. Ordinem hunc multum promovit S. ODDO ab anno 926.

Anno 967. Ordo **CAMALDULENSIUM** institutus à S. ROMVALDO, qui mortuus est anno 1027. cum vixisset annos 120. nempe 20. in sæculo, 3. in monasterio, & 97. in Eremito. Confirmatus est ordo anno 1073. ab *Alexandro II.*

Anno 1030. Ordo **VALLIS VMBROSÆ** fundatus à S. IOANNE GUALBERTO, qui hoc anno primus fuit eius Abbas. Confirmatus est Ordo ab *Alexandro II.* anno 1070.

Anno 1036. Ordo **GRANDIMONTENSIVM** institutus à *Stephano* in *Arvernia Aquitanica*, hic enim *Beneventi* in Monasterio S. *Benedicti* 12. annis educatus, postea annorum 30. in monte *Moreto* Eremitarum ordinem instituit adeo asperè viventium, ut loricis ferreis nudam carnem obarmarint, sed isti primum hunc locum cesserunt *Augustinianis* & migrarunt *Grandimontem*, unde postea nomen acceperunt.

Anno 1084. Ordo **CARTHUSIANORUM** institutus à S. BRUNONE *Coloniensi* antea *Canonico Regulari Ecclesiæ Rhemenis*, & *Doctore Parisiensi*. Cæpit habitare *Carthusia* eremum hoc anno 1084. Confirmatus ab *Alexandro III.* anno 1174.

Anno 1092. Ordo **CISTERCIENSIVM** fundatus à S. ROBERTO prius Abbate *Molismensi Benedictino Cluniacensi* in *Diecepsi Lingoniensi*: unde cum 22. sociis se in eremum dictam *Cistercium* transtulit. Hunc ordinem anno 1113. S. BERNARDUS Abbas *Clarevallenfis* instauravit.

Anno 1119. Congregatio **MONTIS VIRGINIS** fundata à S. *Guilielmo* *Vercellensi* sub regula S. *Benedicti*.

Anno 1120. Ordo **PRÆMONSTRATIENSIVM** fundatus à S. NORBERTO nobili *Lotharingo*, inquit P. *Ricciolius*: (at *Aubers^o Miraus*, in *Chronico Præmonstratens.* natum ait *Sanctis*, quod est oppidum in *diecepsi Coloniensi*, & *ditione Clivensi* situm) qui accepta prius veste candida à B. V. MARIA cum 13. sociis secessit in locum divinitus *præmonstratum*. Confirmatus est ordo eodem anno à *Calisto II.* sub regula S. *Augustini*: unde & dicti sunt *Canonici Regulares S. Augustini* gestant tunicam albam cum rochetto lini subtilissimi & pallium, seu cappam albam apertam more *Carmelitarum*.

Anno 1155. Ordo **GUILIELMITARUM** seu potius *Congregatio* instituta in ordine *Eremitarum S. Augustini* à S. *Guilielmo* *Aquitaniæ Duce*, cujus ipse alumnus fuit. Fuit hoc institutum anno 1157. valde propagatum in duobus *Guilielmi* discipulis B. B. *Alberto* & *Reginaldo*: sed alii hanc propagationem tribuunt B. *Joanni Bono Mantuano* &c.

Anno 1170. Ordo **HUMILIATORUM** institutus à *Ioanne de Meda*, & confirmatus anno 1290. ut habet *Onuphrius*. &c.

Anno 1170. vel 1171. **CARMEI-TARUM** Ordo collectus fuit in *Montem Carmeli* inquit *Ricciolius* ab *Almerico* Legato Apostolico & *Patriarcha* *Antiocheno*: sed novam *Regulam* acceperunt à S. *Alberto* *Patriarcha* *Ierosolymitano*. Teste *Onuphrio* *Patavino* Ordo confirmatus ab *Honorio IV.* datum illi pallium candidum anno 1285. attamen jam ante confirmatus erat anno 1216. ab *Honorio III.*
Hic

Huc referenda sunt, quæ (teste P. Iosepho Andres Societ. Iesu Cap. 57. num. 225. in libello, quem *Decorem Carmeli inscripsit*) in Approbatione Hortuli Philosophici à Dionysio Blasio Carmelitani Ordinis editi, memorat Gabriel Hernandez Religiosus ex Familia D. Augustini, cujus hæc sunt verba: *Carmeliticus Ordo ipse solus multiplex hortus est &c.* CENOBITICUS propter infinita Monasteria Thebaidis, Palestina, Syria & Ægypti, quæ (teste Leandro de Granada in vita S. Gertrudis in Prologo) ante nostrum Parentem Augustinum & Benedictum omnia Eliana fuerunt. Horti quidem arborum adeo sublimium, ut dederint Ecclesie Papas (juxta Egidium Galenum libr. 3. de magnitudine Colonia) Clementem, Telesphorum, Dionysium, Sylverium, Zachariam & Benedictum; Patriarchas Alexandrinæ & Hierosolymitanæ Ecclesie utrumque; Cyrillum, Ioannem 44. & alios. Dedit etiam Damascenos, Basilios, Spiridiones, Ioannes, totque fortissimos Martyres, inclytosque Confessores, ut juxta gravissimi Trithemii sententiam facilius sit cæli Stellæ, quàm Eliana familie sanctos dinumerare &c.

○ Anno 1198. Ordo TRINITATIS pro Redemptione Captivorum institutus à SS. IOANNE MATHA & FELICE Anachoretis, approbante Innocentio III. Ejus Religiosi gestant habitum album cum Cruce cærulea in pectore. Confirmatus est Ordo anno 1204.

Anno 1208. Ordo PP. PRÆDICATORUM auctore S. Dominico prius Canonico Regulari inchoatus in Provincia Tolosana: deinde approbatus ab Innocentio III. anno 1216.

Anno 1207. vel, ut habet GENEBRARDUS anno 1209. Ordo S. FRAN-

cisci Assisinas institutus. Confirmatus est anno 1212. ab Innocentio III. rursusque anno 1223. ab Honorio III. Tertiarij autem confirmati anno 1221.

Anno 1215. Ordo Eremitarum S. PAULI in Hungaria institutus à B. Eusebio Strigoniensi occasione corporis S. PAULI translati in templum prope Budam, etsi primùm anno 1263. cæperit dici Ordo S. Pauli primi Eremitæ, quando Regulam accepit à Paulo Episcopo Vesprenensi, & Regulam impetravit S. Augustini à Legato Pontificio anno 1308. Confirmatusque Ordo anno 1317. à Ioanne XII.

Anno 1216. Ordo SERVITARUM institutus est, uti patet ex antiquo Chronico, quod Patres Servite conservant, & inscribitur: *Incunabula Ordinis Servorum, sub DEIPARÆ Virginis vexillo militantium.* Fuerunt autem illius 7. Institutores Mercatores Florentini.

Anno 1218. Ordo S. MARIE de MERCEDE Redemptionis Captivorum Militaris Barcinone institutus à PETRO Rege Aragoniæ, S. PETRO NOLASCO, & S. RAYMUNDO de Pennafort. Primus Generalis Ordinis fuit P. PETRUS NOLASCO: Fratres ordinis præter tria vota ordinaria habent etiam quartum, quo obligantur remanendi in captivitate infidelium, si ita necesse fuerit. Regulam profitentur S. Augustini. Ordo confirmatus est à Gregorio IX. anno 1230. Testatur autem Marculus in Oceano Religionum fol. 336. anno 1613. captivos liberatos ab hac Religione numeratos fuisse 18343. At Monachi instituti sunt anno 1218. Equites autem 1232.

Anno 1223. Ordo Monialium S. CLARÆ institutus à Sancta Clara sub Re-

Regula S. *Francisci*, & paulò post *Tertiaria*.

Anno 1232. Ordo SYLVESTRINORUM fundatus à B. SYLVESTRO sub Regula S. BENEDICTI, *Marulus* autem vult eum institutum anno 1269.

Anno 1273. Ordo CÆLESTINORUM institutus sub Regula S. *Benedicti* à S. PETRO de *Monte Morone* nato *Ifernix* in Regno Neapolitano anno 1215. & postea anno 1293. creato Pontifice, dictoque CÆLESTINO V. unde & nomen postea accepit Ordo, qui confirmatus est anno 1274. à *Gregorio X.* Obiit autem S. PETRUS relicto Pontificatu anno 1296. & canonizatus anno 1313.

Anno 1319. Ordo OLIVETANUS five Monachorum *Montis Oliveti* institutus à B. BERNARDO, item *Tolomeo*, *Ambrosio Piccolhomineo* & *Patritio Senensibus* in monte *Senis* distante 15. milliariibus prope montem *Alcinum*, quem nominarunt *Montem Oliveti*, sub Regula S. *Benedicti*, sed in veste alba cælitus data à B. *Virgine* anno 1320.

Anno 1355. Ordo IESUATORUM institutus à B. *Ioanne COLUMBINO* *Senensi*, qui obiit anno 1367. Extinctus est hic ordo à *Clemente IX.* anno 1668.

Anno 1370. Ordo Eremitarum S. *HIERONYMI* instauratus à B. *PETRO Pisano* de *Gambacurtis* in Italia, sed in Hispania à B. *THOMA*, aliisque eius Sociis. Confirmatus est Ordo à *Gregorio XI.* anno 1373.

Anno 1373. Ordo S. *BRIGITTÆ* Monialium & Monachorum ab eadem Sancta institutus, & à *Gregorio XI.* confirmatus. Aliqui, ait *P. Ricciolius*, id referunt ad annum 1376. imò cum Dei jussu Romam venisset anno 1346. & jam ordinem in Mo-

Pars III.

nasterio *Vastanensi* sub Regula *Salvatoris* ab ipso Domino accepta instituisse, quæ institutio confirmationem præcessit.

Anno 1376. Congregatio CLERICORUM VITÆ COMMUNIS instituta à *GERARDO* Magno ex *Dioecesi Trajectensi*, qui obiit anno 1384. *P. Ricciolius* vult ex ea fuisse Doct. *Gabrielem Biel.*

Anno 1400. Ordo MINORUM *Observantia*, dictus *Lignipedum* seu *Socolantium* institutus à S. BERNARDINO *Senensi* ordinem S. *Francisci* reformante. Obiit autem S. BERNARDINUS anno 1444 annorum 64. & sanctis adscriptus à *Nicolao V.* anno 1450. Ex ea reformatione Ordo S. *Francisci* divisus est in duos Ordines, nempe *Conventualium* & *Minorum Observantium*, priores vocant Itali *Scarpanti* & posteriores *Zocolanti*. In Menologio S. *Francisci* eiusmodi distributio ordinis *Seraphici* in suas Classes instituitur, videlicet: in *Conventuales*, *Observantes*, *Reformatos*, *Recolleptos*, *Discalceatos*, *Capuccinos*, *Clarissas*, *Tertiarios*, & *Tertiarias*, *Annunciatas*, *Conceptionistas*, *Donatos*, *Equites*, *Eremitas*, *Anachoretas*, *Devotos*.

Anno 1404. Institutum Canonico-rum Sæcularium S. *GEORGII* in *ALGA*, quod deinceps auxit S. *LAURENTIUS IUSTINIANUS* primus *Venetiarum Patriarcha*, qui obiit anno 1455. Solemnem professionem non fecerunt Canonici illi, nisi primum anno 1520. Hic ordo anno 1669. à *Clemente IX.* extinctus est.

Anno 1408. Congregatio S. *IUSTINÆ* *Paravii* instituta sub Regula S. *Benedicti* à *LUDOVICO BARBO*, qui prior erat S. *Georgii* in *Alga* vel *Alega*.

Anno 1420. S. *FRANCISCA* Ro-

E •

ma-

mana à Paulo V. anno 1608. Canonizata, fundaverat Monialium cœnobium *Turris Speculorum* sub Regula *montis Oliveti*.

Anno 1436. Ordo MINIMORUM seu *Paulanorum* institut⁹ est à S. FRANCISCO de PAULA, cum esset annorum 20. Confirmatus est ordo à Julio II. anno 1506.

Anno 1489. Ordo CONCEPTIONIS Monialium fundatus à B. BEATRICE de Sylva Toleti, & approbatus ab Innocentio VIII. anno 1489.

Anno 1524. Ordo Clericorum Regularium TEATINORUM à Rev^{mo}. Io. PETRO CARAFA Archiepiscopo Teatino, S. CAIETANO *Tienneo* nobili Veneto, BONIFACIO de Colle Alexandrino, & PAULO *Consiliario* Romano, qui professionem suam ediderunt Romæ in templo S. Petri hoc ipso anno 1524. E quibus CARAFA postea fuit summus Pontifex Paulus IV.

Anno 1525. Ordo CAPUCCINORUM fundatus à MATTHÆO BASCIO, seu *Barcio* Spoletino ex ordine Fratrum Minorum observantiæ & Conventu *Montefalconis*, qui affirmabat, se à DEO monitum per visum, ut magis austeram ordini S. *Francisci* paupertatem induceret, sibi que demonstratum verum *Sancti Francisci* habitum. Eapropter in solitudinem aliquanto tempore secessit, & ad tam sanctum opus inibi se disposuit. Exinde confirmatus est Ordo ab eodem inchoatus sub nomine FRATRUM MINORUM CAPUCCINORUM à Clemente VII. anno Christi 1528. Obiit BASCIUS Venetiis anno 1552. ita *Boverius* in Annalibus.

Anno 1526. Ordo Clericorum S. PAULI *decollati* institutus à IACOBO *Morigia* Mediolanensi, FRANCISCO Maria Zacharia Cremonensi, & BARTHOLOMÆO Ferrerio Mediolanensi, qui auditis concionibus P. *Seraphini*

acceptaque ab eodem instructione conspirarunt in unum, & ubi à Clemente VII. facultatem acciperunt simul habitandi & vota nuncupandi, deinceps suum institutum etiam aliorum propagarunt, dicti BARNABITÆ à veteri Oratorio S. *Barnaba*, quod Mediolani ad suos usus ipsi acceperunt anno 1533.

Anno 1531. Congregatio Clericorum SOMASCHORUM instituta prius Venetiis ab HIERONYMO ÆMILIANO, qui cepit colligere orphanos eosque alere & instruere ad omnem pietatem. Idem deinceps egit *Bergomi*, & tandem in villa *Somascha* inter Mediolanum & Bergomum sita, in qua tandem obiit, atque exinde nomen traxit Congregatio, quæ anno 1540. à Paulo III. & Pio V. est confirmata, iisque concessa facultas ubique stationem figendi, ubi essent Orphani, & Collegia Clericorum simul habitantium, vocarenturque Clerici S. *Maioli Papiensis*.

Anno 1534. Ordinem Soc. IESU S. IGNATIUS LOYOLA in Cantabria natus cum suis sociis instituit, quem Paulus III. anno 1540. approbavit, attamen Professorum numerum ad 60. capita restrinxit, eamque restrictionem anno 1543. sustulit. Natus est S. IGNATIUS anno 1491, nempe annis 8. post natum *Martinum Lutherum*. Migravit autem IGNATIUS ex hac vita anno 1556. & anno 1622. inter Sanctos adscriptus.

Anno 1562. Ordo CARMELITARUM *Disalceatorum* institutus à S. THERESIA, quæ anno 1515. nata, anno 1535. Ingressa monasterium, anno 1562. Reformavit ordinem, & anno 1582. decessit ex hac vita atque inter cœlites relata à Gregorio XV. anno

1622. ipse autem ordo confirmatus à Pio V. anno 1565.

Anno 1550. Congregatio ORATORII cæpta est à S. PHILIPPO NERIO Florentino Romæ, & anno 1576. à Gregorio XIII. confirmata. Natus est PHILIPPUS anno 1515. & annorum 80. obiit anno 1595.

Anno 1586. Congregatio Clericorum Regularium infirmis ministrantium instituta est à B. CAMILLO de Lælius, à Sixto V. confirmata anno 1586.

& à Gregorio XIV. declarata Religio. anno 1592. Ipse autem B. Camillus natus est anno 1550. & obiit anno 1624.

Anno 1610. Ordo VISITATIONIS Monialium institutus est à S. FRANCISCO Salesio.

Anno 1617. Congregatio Pauperum MATRIS DEI fundata à Iosepho Calasentio Catalauno & à Gregorio XV. anno 1621. approbata, dictaque Congregatio Scholarum piarum.

§. II.

RELIGIOSI ex VARIIS ORDINIBUS ad DIGNITATES ECCLESIASTICAS & GUBERNANDAM ECCLESIAM ASSUMPTI.

Quinam ex modo recensitis Ordinibus Religiosis, aliquot Ecclesiarum Romanarum Prasules & Antistites suppeditarint, dabit sequens Catalogus, ab ipsius ferè Ecclesiarum exordio per singula secula succedentia usque ad 16. productus, in quibus non omnes (hoc enim integrum volumen exigit) sed aliquot duntaxat referuntur Episcopi, Archiepiscopi Patriarcha aut Romani Pontifices ex ordinibus Religiosis assumpti: unde nihilominus sat clarè apparebit, quantum Ecclesiarum Catholicarum Religiosi Ordines præstiterint.

SÆCULUM I.

Anno 140. S. TELESOPHUS Thurien-
sis ex Calabria ex Anachoreta Pon-
tiffex Romanus.

SÆCULUM II.

Anno 260. S. DIONYSIUS ex Monacho
Græco Pontiffex Romanus.

Anno 253. S. ALEXANDER ex Carbo-

nario & Solitario Episcopus Coma-
narum in Ponto.

SÆCULUM III.

Anno 305. S. HELERCUS ex Monacho
Græco, Episcopus Heliopolitanus.

Anno 318. CHRYSOCOMUS ex Monacho
Græco, Patriarcha Aquileiensis.

Anno 320. S. APOLLINARIS ex Abba-
te, Patriarcha Alexandrinus.

Anno 330. S. SERAPION ex Anacho-
reta, Episcopus à S. Athanasio or-
dinatus.

Anno 369. S. BASILIUS Magnus ex
Monacho, Episcopus Cæsariensis.

Anno 371. S. GREGORIUS Nazianze-
nus ex Monacho, Patrarch. Constanti-
nop.

SÆCULUM IV.

Anno 403. IOANNES CHRYSOSTOMUS
ex Monacho, Patriarch. Constanti-
nop.

Anno 408. ALEXANDER ex Monacho
& Solitario, Patriarch. Antiochenus.